

*fide suâ vivet, i. e. qui firmâ fide meas promissiones de Messiâ tenebit, ille vivet. His enim verbis respondeat DEus prophetae precanti, ex quibus constat, prophetae preces a DEo fuisse exauditas. Sed de hoc infra plur.*

*Ut judicet (populos) posuisti eum) Hebr. ad judicium posuisti eum. Quia supra dictum est v. 6. Chaldaeum perambulaturum esse terram, & occupaturum habitacula, quae non sunt sua, & ex Jeremia cap. XXV. v. 9. patet, eundem plurimas regiones occupatum esse, inde constat, Chaldaeum plures populos judicaturum esse; Hinc verto: Ut judicet (populos) posuisti eum. Phrasis Hebraea respondet quoq; latinae, uti Jes. LX. 15 dicitur: *Et ponam te in celsitudinem, sensusq; est: et ponam te, ut sis excelsus;* eodem modo h. I. dicitur, ad judicium posuisti eum, i.e. ut sit judex vel judicet. Sic & Chaldaeus vertit: *ut exequatur judicium, creasti eum.* Et Kimchi: *quia tu posuisti eum, ut judices per manum ejus qui rebelles sunt contra te.* Propheta intentionem DEI in antecedentibus revelatam agnoscit, quod Judaeorum aliorumq; populorum scelera vindicare velit armis Chaldaeorum, qua tremendi judicii executione perterritus rogat, ne per Chaldaeos populum judaicum perdat, & penitus deleat, quod facile fieri posset, quia DEUS crudelem hostem judicem & vindicem constituerat. Mens prophetae est: domine rogo te, ne permittas, ut nos Chaldaeus crudelis penitus deleat, quia eum judicem & vindicem peccatorum nostrorum constituisti.*

*Et o petra) Hebr. וְשׁוֹר וְpetra ad redargendum, fundasti eum. Primo loco hic observandum, vocem וְשׁוֹר וְpetra, vertendam esse in Vocativo, quia tot*

L

Voca-